DE PANCREATE DISSERTATIO ANATOMO-PHISIO-PATHOLOGICA QUAM ... MENSE...

Cesare Augusto Nobili

DE

PANCREATE

DISSERTATIO

Anatomo-Physio-Pathologica

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DOMINI DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE CONSEQUENDA IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. CAMILLO PLATNER

MEDIC. LEGAL. ET POLIT. MED. PROF. ORD.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

MENSE MARTII ANNO 1847

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

NOBILI CAESAR AUGUSTUS

EX ROBECCO IN PROV. CREMON.

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

JULIO CAESARI DE COMITIBUS VISCONTI

ATQUE CAROLINAE ZACCARIAE

PRAECLARISSIMIS CONJUGIBUS

HOCCE PRIMUM

IN RE MEDICA STUDIORUM SPECIMEN

OBSERVANTIAE DEVINCTIQUE ANIMI ERGO

D. D. D.

DOCT. CAESAR AUGUSTUS NOBILI.

» Pancreas suos etiam patitur morbos qui
» maximam toti corpori noxam inferre
» possunt ».

River. Op. med. p. **314.**

PRAEFAMEN.

Quamvis, hodierno oevo, pathologicae potissimum anatomiae ope, morbosarum internorum organorum adfectionum diagnosis clarius quam elapsis temporibus elucescat, inficiari tamen nequit pancreatis laesionum cognitionem obscuris adhuc tenebris circumvolvi, et licet *frequentissimae,* teste Riverio (1), *esse consueverint, cognitu difficilissimas esse, et majori ex parte ex dissectis cadaveribus tantum patefieri.* Quid quod a nulla alia causa pendere quam a pancreatis situ et natura clarissimus Rahnius auctor est. » Situs *enim* pancreatis, inquit ille, » in loco quammaxime recondito, ubi digitis

(1) Op. med. p. 312.

» explorari non potest, et arctissima ejus
» cum vicinis partibus connexio, faciunt ut pan-
» creatis morbi difficillime cognoscantur. Hinc
» saepe inflammatio, dolor, scirrhus pancreatis
» cum alio morbo confunditur, quid saepe nec
» laesae functiones, nec alia symptomata in-
» dicant quod hoc viscus adfectum sit (1) ».
Attamen non est reticendum id quoque hujusce morborum pancreatis ignorantiae in causa esse, quod parum illius adfectionum studio indulxissent medici, nam postquam majorem in posterum diligentiam adhibuere, eo facilius pancreatis morbos ab aliorum organorum pathematibus discriminari coeperunt. Verum nondum adeo perductae fuerunt hucusque res, ut magnae adhuc non supersint lacunae. Quapropter pro inaugurali dissertatione argumentum pertractandum selecturus, in illud facile adductus fui consilium, quod nullum aliud votis melius responderet quam de morbis pancreatis disceptare. Quum vero ex anatomica et physiologica organi cognitione magis ejusdem pathologia elucescat, disceptatiunculam tres in partes scindere non sum cunctatus, quarum

Prior = Anatomicam pancreatis descriptionem exponat,

(1) Diss. De Pancreate.

Altera = Illius functiones, sive physiologiam tradat,

Tertia denique, et posterior morbosas visceris conditiones, sive ipsius pathologiam perpendat.

PARS PRIOR

ANATOMICA PANCREATIS DESCRIPTIO.

Pancreas, viscus impar, in abdominis cavo reconditum, posteriorem regionis epigastricae partem occupat, sub stomacho transversim pendet, intestino duodeno accumbit, rachidi, prope duodecimam vertebram dorsalem, insidet. Anterius superiore mesocoli transversi lamina, nec non ventriculi et prima intestini duodeni portione, interdum etiam a lobo hepatis sinistro obtegitur. Posterius vasa mesenterica superiora, arteriam aortam, venam cavam, plexus nervosos et lymphaticos, regionis, quam occupat, attingit. Inferius tertiae respondet duodeni portioni, et superius iterum cum ventriculo connectitur. Sinistrum latus versus, ad lienem usque pervenit, ad dexteram cum altera jungitur duodeni portione.

Figuram praesefert variam, irregularem, oblongam, cum animalis lingua, juxta non-

nullos anatomicos, similitudinem praebentem, transversim directum, ab anteriore ad posticam partem aliquantisper compressam. Binas obfert superficies, anteriorem alteram superiori mesocoli transversi laminae, ventriculo et primae duodeni portiunculae respondentem, alteram posteriorem, in qua sulcus inest, per quem vasa splenica transitum obtinent, quaeque cum vasis mesentericis superioribus, aorta et cava relationem habet. Duosque praebet margines, superiorem, quem arteria coeliaca reptat, inferiorem tertiae duodeni portioni insidentem. Altera ex ejusdem extremitatibus ad loevum vergit latus, spleni adpropinquatur cum quo jungitur laxi ope textus cellularis. Subtilis admodum est, et *cauda pancreatis* apud anatomicos passim audit. Majoris est voluminis dextera, secundae duodeni intestinae flexioni adhaerens, subrotunda, *caput pancreatis* dicta. Parvum sub ipsa corpus glandulare utplurimum cernitur, ejusdem ac pancreas naturae, *parvus pancreas*, *pancreas minor* nuncupatus, primum a Warthon memoratus, et deinde a Winslow recte descriptus.

Pancreas generatim quinque vel sex pollicum longitudinem assequitur, et quatuor vel sex unciarum pondus attingit. Variat tamen multimode in diversis individuis tum longitu-

do, tum volumen ejusdem. Ex observationibus reapse a clarissimo Bécourt institutis constat pancreatis longitudinem a 4. ½ ad 13 pollices diferre. Caudae latitudo modo ad 6 lineas modo ad tres usque pollices extendi; capitis e contra a pollice uno cum dimidio ad pollices quinque, istiusque crassities a tribus ad novem lineas. Comuniores autem dimensiones, juxta praefatum auctorem (1), sequentes essent:

Longitudo totius pancreatis	Poll. 8.	lin. —
Latitudo capitis	» 2.	» 6
Latitudo caudae	» 1.	» 6
Crassities capitis	» —	» 6

Pondus, quod ad quatuor vel sex uncias adscendere declaravimus, minus in tabidis esse, et binas tantum uncias attingere praestantissimus Sauvagesius auctor est (2).

Viscus, de quo loquimur, colore albo-flavo-griseo in rubellum nitente instruitur, texturaque pollet duriore, granulosa, globosa, salivalium glandularum texturae admodum homologa, a quibus imo nullomodo discrepare videtur, nisi volumine terve, quaterve majore, et ex eo quod parviores recipit arterias, nullisque reptatur cerebralibus nervis (3). Com-

(1) Effem. delle scienz. med. Dic. 1836 p. 377.
(2) Nos. method. t. 2 p. 229.
(3) Magendie. Comp. elem. di Fisiol. t. 3 p. 203.

plurimis revera ipse lobis conflatur, qui iterum in lobulos minores sejunguntur, usquedum granulorum volumen assequuntur in glomera dispositorum, cellulosi ope textus inter se junctorum, ex quibus singulis granulis parvus exsurgit ductulus in majorem confluens, atque ad *canalis*, sic dicti, *pancreatici* formationem symbolam quisque conferens.

Et pancreas pollet reapse ductu a Wirsungio detecto, et hinc canalis Wirsungiani nomine salutato, qui ex mox memoratis granulis originem ducit, multiplicibus parvioribus canaliculis componitur, in pancreatis substantia serpit, a loevo ad dexterum versus latus decursum tenet, majus paulatim lumen aquirens, usquedum ad intestinum duodenum pervenit, in quo suum habet finem. Perquam parvus ubi exordia capit hic ductus, prope duodenum scriptorii calami magnitudinem aequans, lineae unius cum dimidia diametrum offert. In decursu, quem tenet, alios continuo canaliculos recipit, qui ad rectum angulum in eodem inseruntur, et ad illius capacitatem adaugendum conferunt. Ad duodenum perventus hujusce membranas intestini, tres vel quatuor infra pylorum pollices, perreptat, postquam parvi pancreatis excretorem acceperit ductulum. Pallidiorem et magis albidum quam pancreas co-

lorem ostendit, solidioribusque parietibus conflatur.

Non desiderantur in pancreate vasa sanguinea et lymphatica, nec surculi nervei.

Quae ad pancreatem repunt arteriae parvae, sed multiplices sunt, multiplicemque originem ducunt, quippe quae ab arteriis coeliaca, splenica, mesenterica superiore, gastro-epiploica dextera, coronaria ventriculi, et capsularibus sinistris oriuntur. Omnium vero major, magisque constans, est *arteria pancreatica*, ut vocant, *transversalis*, quae generatim ab hepatica procedit, licet interdum ab arteria mesenterica superiore prosiliat. Quae post hanc majus referunt lumen sunt ramuli ab arteria splenica procedentes.

Venae eundem ac arteriae decursum tenent, atque in mesentericam superiorem et splenicam desinunt.

Nervi plexuum hepatici, splenici et mesenterici superioris propagines sistunt.

Vasa lymphatica cum lymphaticis lienis et ventriculi vasibus junguntur.

PARS ALTERA

PANCREATIS PHYSIOLOGIA.

Postquam tali ratione anatomicam pancreatis descriptionem confecimus, organon, de quo est sermo, physiologico sub adspectu est perpendendum. Et hic omnium primo adnotandum occurrit pancreatis functionem nonnisi temporibus non admodum longinquis detectam fuisse, veteribus enim obscura admodum evadebat, quin imo eos omnino latebat. Non aliud reapse pancreati officium incumbere contendebant illi quam hoc *ut vasa fulciret ne ruptionis periculo exponerentur, atque ut ventricuto esset pulvinaris instar ne nimium repletus a vertebrarum duritie loederetur.* Postquam vero per cadaverum sectiones non modo anatomicae viscerum conditiones magis magisque perfectae evaserunt , sed etiam eorundem functiones clarius innotescere coeperunt, et quae pancreatis officium circumvolvebant tenebrae paulatim evanuere, ejusdemque functio maxima sub luce posita fuit. Hinc vetustiori oevo jam Sylvius de la Boe pancreatis studio satagens illum humoris cujusdam secretioni incumbere docuit, quem quidem humorem maximum in animali

oeconomia respectum mereri tradidit, quippe qui *una cum bile et pituita humorum triumviratum constituit quo corpus regitur, atque ex quorum temperie mixtioneque et elementi effervescentia, non digestionis modo sed ipsa quoque vitae atque sanitatis ratio est deducenda, sicut e contrario ex eorum intemperie et nimia abundantia omnes omnium morborum causae, imo sanandi ratio sunt eruendae* (1). Perillustris quoque Riverius pancreatis functionem agnovit, magnique momenti declarat, et postquam tradiderit Fernelium saepe in mesenterio plurimorum morborum causas latere docuisse, Sylviumque id viscus utpote infinitorum malorum parentem criminatum esse, idem de pancreate esse repetendum praecipit, *sunt enim*, subdit is, *partes illae ignobiliores, et veluti corporis sentina ad quam membra nobiliora escrementa sua deponunt* (2).

Ast plura hujuscemodi silentio lubenti animo praetereuntes, verum pancreatis usum tradituri, cum omnibus recentioribus physiologis in hoc sistere admittemus, quod hoc organon, humoris cujusdam peculiaris secretioni et excretioni incumbat, qui *succi* vel *humoris pan-*

(1) Frid. Hoffmann De Duod. mult. mal. causa. Opusc. pathol. pract. p. 158.

(2) Op. cit. p. 312.

157

creatici, sive *lymphae pancreaticae* nomine insignitus, propter maximam visceris, in quo efformatur, cum glandulis salivalibus texturae analogiam, maximam refert cum liquore in istis secreto similitudinem. Re quidem vera in granulis sive acinulis, ex quibus pancreatem componi superius monuimus secernitur continuo, tempore vero digestionis, monente Neutero (1), majori quantitate, humor, qui canaliculorum, quae memoravimus, ope, in majores canales vehitur, donec in pancreatico ductu collectus, ad intestinum duodemum, in quo effunditur, transfertur. Hic bili et chylo in ipsum intestinum effluentibus, cumque ipsis tum perfectiori chylopojesi, tum indirecte saltem haematopojesi famulatur.

Est autem succus pancreaticus humor quidam salivae, ut diximus, admodum analogus, generatim limpidus, nonnumquam, Wepfero, Drélincourt, Brunner, Boerahave et Bohn testantibus, turbidus et opacus, sub-albidus vel incolor, aliquando in roseum nitens, densus, tenax, non spumosus, lente effluens. Sapore generatim vix sensibili praeditus est; alias leviter sub salso scatet, mox, docente Graefe, acido-salino pollet, mox e converso, Mayer praecipiente, alkalinum praebet. Atque haec sapo-

(1) Fundam. med. pract. p. 8.

ris diversitas in causa fuit ut nonnulli acidam cum Sylvio, alkalinam alii cum praefato Mayer indolem lymphae pancreaticae tribuerent. Continuam esse hujusce laticis secretionem, et digestionis tempore, juxta Neuteri sententiam, copiosorem evadere, jam supra dictum est, ast quanam quantitate ille secernatur nondum evicerunt physiologorum pericula, discrepantesque adhuc inter se inveniuntur eorum sententiae, nonnulli enim per quamparva quantitate efformari tradunt, dum alii sat magna parari contendunt. Quod postremum probabilius videtur si pancreatis volumen consideretur, cumque salivalibus glandulis comparetur, multiplicia, quae ad illum reptant, sanguinea vasa memorentur, neque obliviscantur noxae ab illius defectu promanantes.

Chemicae a clarissimis Levret et Lassaigne analysi subjectus succus pancreaticus ab equo collectus sequentia prodidit:

Aquae	99, 1
Albuminae	0, 9 (all rows from Albuminae to Phosphatis calcis together)
Muci	
Materiei animalis solubilis in aqua	
— — — in alcohole	
Sodae liberae	
Chlorureti sodii	
— potasii	
Phosphatis calcis	
	100 —

PARS TERTIA

PANCREATIS PATHOLOGIA.

Hisce tali modo relate ad pancreatis anathomiam et physiologiam breviter exaratis, nunc ad illius pathologiam exponendam properare debemus. Ast hic locorum omnium primo repetendum est pancreatis morbos, licet frequentissimi sint, tamen parum cognitos et curatu difficillimos esse. » Le malattie del pancreate, » in *scientiarum medicarum lexico* scriptum re- » peritur, sono poco conosciute, nè vennero » per anco comprovate se non mediante l'aper- » tura del cadavere... La situazione profonda » della ghiandola, il suo piccolo volume, la » poco sensibilità di cui gode, e gli organi » importanti dai quali trovasi circondata, sono » le principali cause che contribuiscono ad » oscurare la diagnosi delle sue affezioni (1) ». Hoc jam Riverio assentiebantur clarissimi Vogel et Cullen, et praestantissimus Mondière, qui perbellas de morbis pancreatis observationes instituit, postquam exempla in medium protulisset Ribes qui scirrhum pancreatis pro

(1) Dizion. compend. delle scienze med. t. 13 p. 173.

pulmonali phthisi judicavit, sequentia tradit: » Nello stato attuale delle scienze rimane an- » cora impossibile di potere distinguere le dif- » ferenti alterazioni (*pancreatis*) che l'ana- » tomia patologica ha fatto conoscere fino al » presente (1) ». Quum enim, alibi addit ille, (2) organon quodvis magni momenti functiones explet, atque vitae exercitio plus minusve necessarias, quum vel ex minima organica, quae in ipso contingat, modificatione multiplices evolvuntur et manifestae cum aliis organis sympathiae, facili negotio ejusdem organi a physiologico statu aberrationes, morbi nimirum, dignosci queunt; quum vero organon istud, quemadmodum de pancreate evenit, profundius in corporis caveis insidet, parvas habet cum aliis visceribus relationes, ab organis quae magnam in vitae exercitio symbolam sibi vindicant, circumdatur, ejusdemque vel maximae degenerationes nec propria, nec evidentiora phaenomena produnt, et perraro mortis in causa fiunt, perarduum profecto illius pathemata cognoscere, evadere debet.

Nos pancreatis morbos expondituri ab illius phlogosi gressus movere non dubitamus, quip-

(1) Effem. delle scienze med.
(2) Archiv. génér. de med. Mai. 1836.

pe quae et frequentissima prae ceteris adfectionibus sit, et potissima, quibus pancreas tentatur, alterationum scaturigo, et unicum forsan sistat hujus visceris morbum qui apta instituta therapia profligari potest.

PANCREATITIS.

Pancreatis ergo inflammatio *pancreatitis* vel *pancreitis* apud nosologos audit, et acutum vel chronicum habere queit decursum, *acuta*, videlicet, vel *lenta* aut *chronica* est.

Pancreatitis *acuta* modo primaria ratione evolvitur, et *idiopathica* sive *protopathica* dicitur, modo phlogoseos vicinorum organorum, (ventriculi, intestinorum, hepatis, lienis) consectaneum sistit, et *secundaria*, *sympathica*, *deuteropathica* nuncupatur. Generatim levioris sub morbi specie manifestatur, quapropter subphlogosis potius quam vera inflammatio a clarissimo Bécourt declaratur. Interdum tamen gravioribus stipatur phaenomenis. Perdifficilem semper cognitu esse praecipit praeclarissimus Raimannus (1), qui pariter perraram esse contendit, contra praelaudati Mondiére sententiam, qui eam frequenter occurrere tuetur.

(1) Man. di pat. e ter. med. spec. t. 4 p. 340.

Pancreatitide laborantes plus minus vehementi in illa abdominis regione, in qua adfectum organon insidet, dolore torquentur, qui quidem dolor variam ostendit indolem, modo comprimens, vel pulsans, vel quidem, licet rarius, lacerans est. Sub quavis abdominis contrectatione admodum adaugetur hic dolor, quemadmodum sub corporis motibus, subque trunci erectione, dum e converso sub flexione mitior evadit. Quod constans minime est, aliquando enim contrarium prorsus obtinet. Pressionis porro et ardoris sensum in epigastrica regione experiuntur aegri, ardorque iste a ventriculo ad os per oesophagum haud raro diffunditur. Ingens deinde sitis praesto est, cum inexplebili frigidorum potuum desiderio. Hanc vero explere prohibent nausea et vomitus ex quibuscumque ingestis facile oriundus. Vomitus autem solemne praestat in pancreatitide phoenomenon, nec modo ab assumptis gignitur, verum etiam sponte locum obtinet, pertinax, permolestus, cum peculiaris materiei evacuatione, liquidae, sub-albidae, spumosae, tenuis, insipidae vel peculiari instructae sapore salino, sub-amaro, sub-acido, vel quidem acido. Materies haec, quae vomitu ejicitur, magnam, docente Rahn, cum saliva similitudinem refet, magnumque ad morborum pancreatis

diagnosim auxilium suppeditat. Quemadmodum in morbosis salivalium glandularum adfectionibus pancreas in morbosam compassionem perducitur, in istius organi phlogosi sympatice et illae glandulae patiuntur, unde copiosior obtinet salivalis humoris secretio, cum frequenti expuitione; quod J. P. Frank, Magean, Force, Berthomien, Polinière, et Gelsen observasse testantur. Alias tamen contrarium locum habet, et tunc magna oris et faucium ariditas adnotatur. Anorexia et ructus hisce porro adduntur, nec permolesta in regione epigastrica anxietas desideratur, quae aegros maxime angit. Alvus modo constipata cernitur, modo diarrhoice fluit, et notatu dignum est quod saepenumero antaganismus quidam observatur inter alvinarum excretionum numerum et qualitatem et quantitatem praefatae materiae liquidae per vomitum emissae aut a glandulis salivalibus elaboratae. Urinae parcae et rubrae, sicuti in ceteris inflammationibus, conspiciuntur. Interim febris quoque morbosis hisce phoenomenis comitem se facit, characteris plerumque remittentis, cum ariditate et calore cutis, cumque pulsu duro, contracto, et frequenti.

Chronica pancreatitis eisdem ferme symptomatibus stipatur, et nonnisi gradu et lentiori decursu ab acuta diferre videtur. Dolor in ista

magis obtusus est, minus violentus, profundiori quasi insideat loco difficilius sub attactu excitatur, ad ventriculum et dexterum hypochondrium extenditur, atque ad intervalla recurrere consuescit. Vomitus quoque initio saltem morbi rarius occurrit, progressu tamen temporis frequentior evadit, numquam tamen adeo ut in acuta pancreitide. Eisdem ac in illa substantiis constituitur. Clarissimus Heineken quemdam hoc morbo detentum observavit, qui quovis mane liquidam quandam materiem salivae muco commixtae admodum analogam vomitu ejiciebat, donec potum calidum assumeret, quo facto per integrum diem bene se habebat. Simile perillustri Mondiére in homine 42 annos nato exemplum se obtulit. Ejusdem humoris evacuatio haud raro per alvum locum habet. Anxietas porro, et ardoris sensus et hoc in casu percipiuntur, quid quod vix non constans est, adeo ut in lenta pancreatis phlogosi piroseos causam praeclarissimus Doctor Conti reponere non sit cunctatus.

Progrediente vero morbo, et pancreate in organicas degenerationes nitente, augetur illius volumen, et consensualia phoenomena plura in conspectum se produnt. Compressa hac de causa arteria aorta, vehementes interdum in abdomine pulsationes oriuntur hujus vasis

aneurysma simulantes. Bilis per ductus biliares cursu eadem ratione praepedito, icterus locum obtinet, succique nutrititii per vasa chylifera absorptione retardata, maxima corporis emaciatio paulatim generatur. Inferiorum extremitatum oedema, ascites et ipse catholicus hydrops hujusce causae nonnumquam effectum sistunt. Augetur proinde praecordiorum anxietas, tumor major minorve, durus renitens in regione super-umbilicali adparet, exasperatur quammaxime dolor, qui aegros pedibus consistere, vel dum consident, truncum erigere vetat. Tussis quoque non desideratur, et jam febris cum hecticae characteribus consociatur, quae, tremoribus convulsivis obortis, macie in diem aucta, vomitu et diarrhoea profusioribus et vix non continuis factis, optatam deniquae aegris adducit mortem.

Maxima, quae pancreatem inter et glandulas salivales inest sympathia, ex iis, quae huc usque retulimus, luculenter patet. Id autem a nonnullis medicorum observationibus magis adhuc confirmatur, adeo ut extra omnem dubitationis aleam positum sit. Qua de re memoratu digna profecto est praelaudati Conti observatio, qua constat in quadam epidemica parotitidum constitutione pancreatis quoque phlogosim constanter consociari observatum fuisse (1). Hoc

(1) Giorn. delle Scienze med. Fasc. di Marzo e Aprile 1837.

ipsum vero nil aliud magis comprabat quam morbi historia a clarissimo Mondiére prolata, quamque hic locorum breviter exponere statuimus. — Agitur de muliere vigesimum vitae annum agente, quae utero dum gerebat, in syphilidem offendit. Partu expleto, deuto-chlorureti hydrargyri ope syphilide sanata fuit, ast paulo post, evanitis jam omnibus his symptomatibus, et mercurii usu derelicto, phthialismo correpta est tam copioso, ut quatuor salivae libras in nichthemero emitteret. Aptis suppeditatis medicaminibus, salivatio paulatim minuebatur, sed alvus eadem ratione frequentius deponebatur, ita ut, phthialismo abeunte, immodice fluere coeperit. Pulsus centum et quindecim ictus praebebat; sitis est orta cum anorexia et faucium ardore, et vomendi nisu. Abdomen tensum in epigastrica potissimum regione, ubi calor adauctus, et dolor percipiebatur fixus, constans, obtusus, profundus, ad dexterum vergens hypochondrium, ventriculo repleto adaugendus. Quinque hoc in statu transactis diebus, vomitus surrexit biliosus, licet aliquod jam haberetur malorum lenimen; dolor autem semper urgebat supra-umbilicalem regionem occupans, adeo vehemens ut decubitum in dorso et sinistro latere praepediret. Alvus tamen diarrhoica manebat, et triginta

habebantur in die evacuationes, *materiebus aqueis subflavis salivae perquam similibus* conflatae. Aliquo cum levamine remedia amarotonica propinata fuere, obtentum vero emolumentum breve admodum fuit, nam, paroxismo febrili oborto, diarrhoea iterum in conspectum se prodidit. Subsequenti nocte pungens in epigastrio dolor est enatus, quem tussis et orthopnaea sunt consecutae. Vena noctu secata fuit, et mane parotides iterum tumere conspiciebantur, calidae, vehementer dolentes, cum oris siccitate et pulsibus parvis. Vespere respiratio stertorosa fit, anxietas summa, pulsus intermittentes; frigent extrema; facies hipocratica evadit, et mors infaustam claudit scenam. Dissecto cadavere, pancreas tumidus inventus est, in dextero praesertim latere, magis, quam normali sub conditione, consistens et ruber; eoque cultro inciso, plurimae sanguinis guttulae fluere cernebantur, quae collectae octo unciarum pondus aequerunt. Parotides quoque phlogoseos vestigia obferebant (1).

Pancreitidi gignendae pares haberi debent causae omnes, quae aliorum organorum phlogoses producere valent. Praeprimis autem cri-

(1) Effem. delle scienze med. Fasc. 7 p. 63.

minandae veniunt contusiones abdomini illatae, vicissitudines athmosphericae, frigus incaute susceptum, vicinorum organorum, vel glandularium salivalium phlogosis. Graviditas, diuturnus chinae-chinae usus, *materiei rheumaticae*, variolarum, morbillorum metastases, hypochondriasis et hysterismus, juxta Mondiére sententiam hoc censu enumerandae veniunt. Emeticorum et drasticorum, nec non liquorum spirituosorum abusus magnam in hoc morbo producendo symbolam conferunt. Fleischmann haereditariam quamdam dispositionem admisit. Celeberrimus Hildenbrand nicotianae tabaci fumum, in iis potissimum qui frequentius expuunt, nigro lapillo designat. Mercurialium vero praeparatorum administratio maximam prae ceteris momentis spartam sibi vindicare jam pluries laudato Mondiére vix non omnes assentiunt medicinae scriptores.

Pancreatitis acuta modo resolvitur, modo in suppurationem, gangraenam sphacelumque abit. Raro per se mortem affert, raro quoque perfectam sanationem attingit. Hunc exitum nactus est morbus in sene de quo loquitur Percival. Chronica periculosior ex eo fit, quod diutissime generatim durat, organicasque plerumque degenerationes parit.

Methodus antiphlogistica, morbi gradui re-

spondens, pancreatidi medetur. Hinc vena secanda, hyrudines admovendae, cucurbitulae profunde incidendae sunt. Purgantia proinde, praesertim leniora et praeprimis ex vegetabilium regno deprompta, tamarindorum fructus, cassia, manna, aloes, rheum, sunt propinanda. Proto-chloruretum hydrargyri quod magnas suppetias afferre docet jam memoratus Doctor Conti cauta nisi manu adhibendum esse censemus. Martialia quoque magno cum aegrorum emolumento usurpari queunt. Morbo ad lentum decursum nitente, solventia suum habent locum, et murias barytae, et joduretum potassae haud parvas sibi promeruerunt laudes. Potionum acido clorydrico acidulatarum ope optimos obtinuisse effectus testatur Eysing, qui pariter frictiones cum balsamo peruviano in alchoole soluto maxime commendat. Revellentia, non excepta moxa, et balnea, praesertim tepida, suos quoque laudatores inveniunt. Frictiones cum hydrojodate jodurato lixivae non absque emolumento adhibuisse testatur Doctor Rotondi. Aquae minerales ferro scatentes utilitate non carent. Denique, scopo palliativo, stramonium, hyosciamus niger, cicuta virosa, atropa belladonna, subnitras bismuthi, oxydum zinci adhiberi possunt.

Praefatus Doctor Rotondi gelatinas ex *fuco crispo* confectas pro nutrimento proponit.

PANCREATIS SUPPURATIO.

Inter exitus pancreatitidis suppurationem locum habere posse superius monuimus. Utrum vero hoc reapse contingat in dubio haerent clarissimi Roux et Bérard. Sed plures extant observationes quae id extra omnem dubitationis aleam ponunt. In puero pancreatem ex integro suppuratum observavit Harles, in juvene diuturna cardialgia detento Gaultier. Baillie et Portal eandem invenerunt alterationem in duobus hominibus pertinacissimo vomitu enecatis. Bouz in alio post pertinacissimos in epigastrio dolores vita functo. Heberden pancreatis abscessum reperiit in cadavere juvenis 20 annorum, qui atrocissimos in abdominis ambitu, pancreatis sede excepta, dolores est passus cum spasmodicis intestinorum constrictionibus, musculorumque abdominalium contractionibus. Moulou in puella gastro-enteride perempta, in hernioso Schmachpfeffer, in puero, qui dorsi et lumborum cruciatibus diutius laboraverat, Patin, ingentes observarunt pancreatis abscessus.

GANGRAENA ET SPHACELUS.

Gangraena et Sphacelus rariores sunt pancreaticae phlogoseos exitus, nihilotamen secius neque illorum exempla desiderantur. Mercatoris historiam refert Portal, qui vehementibus ad intervalla doloribus abdominalibus supraumbilicalem regionem occupantibus torquebatur. Dolores istos modo nausea et vomitus, modo diarrhoea praecedebat, aut subsequebatur. Post dies viginti extremo fato concessit. Sub cadaveris disectione pancreas in propatulum venit volumine adauctum, emollitum, coloris rubri violacei in nigrum nitentis, et saniem nigrescentem, foetidam gementem. Pancreatem gangraena adeo consumptum ut ejus vestigia vix conspicierentur invenit Bonetus in puero quem ascites et tympanites de vita abstulerant. Barbette organon, de quo loquimur, corruptum, imo ex integro sphacelatum observavit in sartore, qui quodcumque ingerebat una cum crassa pituita vomitu ejiciebat. Nec diversimode se habebat viscus istud in homine a Greiselio memorato, qui abdominalibus doloribus frequenter tentabatur; de frigore in interioribus partibus derepente conquoestus, animi deliquia supervenerant, et intra octodecim horarum spatium mortuus erat.

EXULCERATIO.

Exulceratio aliud est phlogoseos in pancreate productum. Pancreas, jam scripserat Zwingerus (1), *intumescit, obstruitur, induratur... atque ulcere affligi potest.* Celeberrimus Raimannus hanc admittit alterationem, quam *phthiseos pancreaticae* nomine insignivit. De muliere mentionem habet Higmorus hysterica, atque epileptica, quae immanes dolores, *exquisitosque cruciatus* diutissime passa est, donec extremum obiit diem. In cadavere unus pancreas *male adfectus et exulceratus* apparuit. Altera quoque mulier, 40 annos nata *enormibus*, referente Hasenohrl, pluries in die doloribus defatigabatur. Magna post immania tormenta sanguinis vi ex ore et naribus erumpente vitam cum morte commutavit. Pancreas *durus, ulceribus hinc inde obsitus* sub cadaveris sectione in apricum venit. Denique hoc viscus *ulceratione defoedatum* Blasius quoque alia in foemina conspexit.

(1) Theatr. prax. med. p. 335.

HYPERTROPHIA ET ATROPHIA.

Raro simplici hypertrophia laborat pancreas, saepe saepius enim una cum voluminis augmento ejusdem induratio vel scirrhosa degeneratio locum habet. Riverius tamen jam adnotaverat in scorbuticis pancreatem volumine adauctum, quin alias se ostenderent alterationes, solemnem esse (1). Clarissimus Sewall argumentationibus et factis hoc extra omnem posuit dubitationis aleam (2). Marjolin quoque hypertrophicum organon, de quo disserimus, observasse testantur (3). Berg denique in infante in lucem vix edito pancreatem voluminis illius quem puer duodecim annorum praebere potest invenisse tradit.

Quemadmodum hypertrophia, atrophia laborare potest pancreas. Hujuscemodi alterationis exemplum a Lobstein relatum habetur. Pancreatem atrophicum in subjecto ex tumore abdominis canceroso vita perfuncto invenit Guérin. Bérian eandem reperiit alterationem in homine quem aortae aneurysma de vita tulerat, eamque frequenter, in iis qui hepatis scirrho vel cancro tentan-

(1) Op. cit. p. 314.
(2) Trat. delle malat. del pancreas.
(3) Diz. class. di med. int. ed est. Art. Pancreas.

tur, observari Morgagnius auctor est. In cadavere juvenis 20 annorum pancreatem adeo parvum conspexit Engelins, ut novem linearum longitudinem, trium quatuorve latitudinem tantum assequeretur.

EMOLLITIO.

Sive ob praegressam acutam vel lentam phlogosim, sive alia de causa emollitionis processum subit aliquando pancreas, licet perraro hoc contingere fatendum sit. Schmaekpfeffero hujusmodi alteratio semel visa est in subjecto in quo pancreas spongiosus, quasi solo textu cellulari conficeretur, cernebatur. Portal bis eam invenit in pueris morbillo peremptis semelque in juvene quem variolae confluentes enecaverant. Scorbuticis et scrofulosis non insuetam esse hanc pancreatis conditionem Bécourt tuetur.

INDURATIO.

Longe frequentius oppositum pancreatis statum observare fas est, sed vix non semper, Sauvagesio et Baillie docentibus, scirrhosae degenerationis exordium sistit. Quamobrem nos de ea singillatim disserere omittimus, scirrhi descriptionem aggressuri.

SCIRRHUS ET CANCER.

Quum cancer sit constanter scirrhi consectaneum, alterum ab altero hoc pancreatis pathema non sciungimus.

Prae ceteris, quas hucusque memoravimus pancreatis abnormitates, quaeque in posterum memorandae erunt, excepta phlogosi, cujus vix non omnes sunt soboles, induratio scirrhosa frequentissima est.

Pancreas scirrhosam degenerationem adeptus maximas parit organismo noxas, quin imo haud raro lethi inter atrocia tormenta causa fit. Nihilo tamen secius ejusdem praesentiam dignoscere perarduum saepesaepius evadit negotium. Symptomata enim quae ab ipso prodoci consuescunt neque constantia sunt, neque talia ut aliarum adfectionum indicia non esse nequeant. Hinc haud infrequenter cum alio morbo confunditur, neque insuetum est ex sola cadaveris authopsia innotescere.

Scirrhi evolutionem praecedunt generatim acutae, frequentius lentae pancreatitidis notae, quae, postquam diutius perduraverint, manifestatur ut plurimum tumor regionem supra-umbilicalem occupans, major minorve, durus renitens, vix non indolens. Augetur paulatim hujus

tumoris volumen, et jam per pressionem, quam supra proxima organa exercet, plura phoenomena sympathica ratione producit. Haec inter praeprimis memorari merentur quae a ventriculo procedunt, pyrosis, nempe, et vomitus, qui quidem ex peculiaribus materiebus conflatur, quae magnam, uti de pancreatitide pertractantes adnotavimus, ad morbi diagnosim rite superstruendam symbolam conferunt. Phthialismus et salivalis, ut ita dicam, humoris per alvum dejectiones, quas solemnes in pancreatide declaravimus, et hic locum habent. Hisce adde peculiaris characteris dolorem, qui diversas abdominis partes exercet, sed regionem, quam pancreas occupat, utplurimum praediligit. Hic dolor plus minus constans ad intervalla recurrit, ventriculo repleto augetur, diutissime angit, et id peculiaris habet quod corporis erectione valdopere intenditur. Non modo autem supra umbilicalem regionem detinet, sed ad latera quoque abdominis extenditur, quin imo ad pectus quoque diffunditur. In muliere pancreatis scirrho adfecta, cujus historiam refert praestantissimus Andral, immanes dolores, noctis praesertim tempore, totum abdomen, et hypochondrium praesertim sinistrum ingenti cruciatu dilacerabant, pancreatis situm immunem relinquentes. Superveniunt porro praecor-

dialis anxietas, dyspnoea, tussis, cordis palpitatio. Nec icterus saepe numero desideratur, nec extremitatum oedema, ut omittam corporis tabescentiam, quae jam praesto est. Neque reticendum est profusas interdum haemorrhagias a ventriculo vel intestinis a scirrhoso pancreate originem ducere. Rahn, Portal, et Salmadius aneurysmaticam aortam hac de causa observarunt, apoplexiamque exinde promanare adnotarunt. Baillie in muliere hoc morbo laborante permolestum in coxa et crure torporis sensum potissimum uti phoenomenon advertit.

Haec sunt quae ab auctoribus recensentur scyrrhi pancreatis symptomata, quae quam incerta sint, et ad rectam diagnosim instituendam non sufficientia unusquilibet facile videt. Sed quid proderit recta morbi cognitio, si proh dolor! quamcumque iste therapiam respuit? Pancreatis reapse scirrhus insanabilem morbum constituit; nonnisi palliativa ipsi aptatur medela!

Sub scirrhosa degeneratione pancreatis textura valdopere alteratur, naturalem consuetumque admittit adspectum, in massam albidam, duram, uniformem convertitur, pluresque intersectiones membranaceas, docente Baillie, praesefert.

Ejusdem autem volumen nonnunquam minus

normali evadit, generatim vero longe majus est, adeo ut ingentem aliquando molem assequatur, quemadmodum Riolano prae ceteris videre fuit, qui pancreatem scirrhosum hepatis volumen et pondus habentem observavit.

INDURATIO CARTILAGINEA.

Lilienhein puellae historiam tradit, quae lymphatica constitutione praedita erat, segnetem agebat vitam, spasmodicisque, hystericarum adinstar, pathematibus tentabatur. Alvus praetermodum constipata erat; anorexia, ructus humoris subalbidi salivae similis aderant, aderantque nisus ad recendum et salivatio. In epigastrio tumor percipiebatur, durus, mobilis, initio indolens, admodum, sub tactu praesertim, sensibilis temporis progressu. Post immanes abdominis cruciatus mors infaustam claudit scenam. Pancreas in massam duram, *cartilagineam* ex integro conversus erat, ductumque pancreaticum perfecte obliteratum praeferebat. Morgagnius et Schupmann similes alterationes viderunt.

PANCREAS LAPIDEUS ET ARENOSUS.

Lapideum pancreatem in subjecto diabetis causa vita functo Cowley semel reperiit, nec alia habentur hujus modi exempla.

In homine trigesimum annum agente, qui diutius contumacissimum intra umbilicum et cartilaginem mucronatam dolorem passus erat, tabidusque perierat, pancreas clarissimo Tissoto triplo majorem, perquam durum, et *arenaceum* se ostendebat.

DEGENERATIO ADIPOSA.

Adiposae pancreatis degenerationis exempla a Dupuytren et Lobstein praeprimis referuntur. Bis eam observavit Becourt, qui olim in altera tantum pancreatis plaga conspexit. Agebatur de sartore, qui ab octo diebus ictericus evaserat; pulsus lente micabant; aderant laxitudo, anxietas, oppressionis in epigastrio sensus, adpetitus jactura, cum urinis limpidis et aqueis. Supervenere pruritus cutis, diarrhoea, sitis ingens, cum atroci sub stomachi regione dolore tactu adaugendo. Leypothimiae, cruentusque vomitus infaustam clauserunt scenam. Pan-

creatis caput scirrho detinebatur; cetera ejus portio in textum adiposum erat conversa.

Juvenis 22 annorum a tredecim mensibus febri lenta adflictabatur, quam deinde tussis, haemoptoe, tabes et hydrops sunt subsequutae. Disecto cadavere, tumor in propatulum venit *ad capitis infantis magnitudinem accedens* pancreate constitutus *e pluribus invicem unitis corporibus compactus, et quasi racemosus, materiaque quadam sebacea scatens* (1).

DEGENERATIO CYSTICA.

Cysticam degenerationem pancreatem quandoque inire a pluries laudati Bëcourt observatione comprobatur. Ille reapse cystidem in corpore et cauda pancreatis invenisse testatur, pueri quatuor annorum caput volumine aequantem. Parietes habebat haec cystis crassas, tenaces, albidas, manifeste fibrosos.

TUMOR IN PANCREATE SANGUINEUS.

Clarissimus Stork mulieris mentionem habet, cui violenti vomitus causa, menstrua supprimebantur. Anxietatem exinde praecordialem,

(1) Lieutaud. Hist. anat. med. t. 1. p. 243.

cordisque palpitationem passa est; in epigastrio pulsationis sensus percipiebatur; ex quovis corporis motu leypothimia et syncope facile corripiebatur. Supra umbilicum ingens paulatim tumor enatus est; anxietas aucta; leypothymiae crebriores factae. Pulsus vix perceptibiles; sudores frigidi, et brevi tempore mors. Necroscopia instituta, nil aliud in apricum venit quam pancreas in ingentis voluminis tumorem conversus, tredecim librarum pondus attingens, et sanguine farctus, partim soluto, partim grumoso et in organissationem nitente (1).

DEGENERATIO ENCEPHALOIDES.

Nec encephaloides metamorphosis pancreati aliena. Ter ipsam observavit Abercrombie, pluries Mériage et Laennec. Ast prae ceteris notatu digna videtur observatio a Duponchel relata, militis cujusdam, çui, postquam diutius digestionis difficultate laborasset, tumor ovoideus, renitens supra umbilicum apparuit. Subjectis partibus tenaciter adhaerebat; de die in diem augmentum capiebat; vehementemque in epigastrio cum torporis sensu dolorem excitabat. Alvus jam primum diarrhoica, consti-

(1) Ann. med. 1. p. 245.

pata est; adpetitus dejectus; non modo ab ingestis sed sponte vomitus oriebatur, quo liquor brunescens foetidissime redolens evacuabatur. Macie confectus extremam obiit diem. Pancreatis loco cystis in conspectum se prodidit infantis capitis magnitudinem praebens, parietibus crassis, tenacibus conflata, materia brunea grumoso sanguini analoga scatens, cui plurima cerebriformis substantiae frustula commiscebantur.

TUBERCULOSIS.

Tuberculosis, quae nullis parcit organismi partibus, in pancreate quoque, licet rarius, evolvitur. Vernier in muliere quae a longo jam tempore doloribus ad humeros, et caloris sensu in epigastrio adflictata fuerat, et tandem tabida e vita decesserat, pancreatem tuberculis hinc inde scatentem invenit. Glatigny in muliere 25 annorum similem alterationem adnotavit. Hujusmodi exempla a Mitivié, Marquis, Petit, Harles aliisque referuntur.

Clarissimi auctores postremo memorati ceu symptomata hujusce pathologicae conditionis sequentia exponunt; ructus acidos cum liquoris glutinosi salivae similis evacuatione; diar-

rhoeam; extremitatum oedema, phthialismum et profundum in epigastrio dolorem.

Haec vero phoenomena tuberculosim potiusquam alias morbosas pancreatis conditiones significant?

MELANOSIS.

Rarius adhuc quam tubercularis est melanoticae materiei in pancreate depositio Nihilotamen secius nec ista Henry, Gohier, et Mackensie latuit.

CALCULI.

Calculi e converso frequentius in pancreate efformantur, et pluries istusmodi observationes apud Merklin, De Graef, Schurig, et Portal inveniuntur. Galeati in homine a diuturnis doloribus praecordialibus, anxietate, alvi constipatione, ictero et vomitu pertinaci mulctato, pancreatis caput in saccum ovi gallinacei magnitudinis conversum, et viginti calculis repletum observavit. Baillie in excretorio pancreatis ductu calculum nucis avellanae voluminis detexit. Exempla similia apud Eller, Wollaston et Cowley memorantur.

Calculorum pancreaticorum analysis adeo ut omnia principia eorum constituentia recta dignoscantur, nondum hucusque instituta fuit. Quem supra memoravimus a Ballie repertus calculus calce carbonica conflabatur. Ex ejusdem basi phosphate cum materie animali commixto illos utplurimum componi docuerunt alii.

Quemadmodum aliarum pancreatis adfectionum, illius calculorum diagnosis obscuris adhuc tenebris circumvolvitur. Praelaudatus Baillie eos dignosci non posse fatetur si parvi sint, pauci, aequalemque habent superficiem. Sin vero asperi sint, et numero plures vel volumine majores, propter atroces, quos excitant, dolores, majoresque, quas parant organismo noxas, de illorum praesentia suspicionem probabilius alere licebit. Certior fiat res si eorum per alvum aut vomitum dejectio fortuito contigerit. Ast libenter repetimus certa, quae eos indicent signa, adhuc desiderari.

VERMES.

Mirum quidem est, sed non minus comprobatum, vermes in pancreate existere posse. Binae reapse extant observationes hoc evincentes; altera ab Engel collecta ostendit pancreatem, cujus non modo major ductus, verum et mi-

nores ramuli lumbricis scatebant ; altera a Lieutaud prolata mulierem respiciens febri epidemica maligna enecatam, quae ductum pancreaticum obferebat *lumbrico huc adacto obturatum.*

VULNERA.

Danturne pancreatis vulnera? Exempla desunt. Reticendum tamen non est a periculis a Brunnero super bruta animalia institutis comprobatum esse istiusmodi vulnera periculo prorsus vacare.

RUPTURA.

Superest postremo loco ut pancreatis rupturae mentionem habeamus, cujus nnica tantum agnoscitur observatio a Travers edita, quae mulierem respicit curru lapsam, et costarum fracturam perpessam. Paulo post vita decessit. Necroscopia pancreatem transversim laceratum ostendit.

Hisce nostram ad finem perduximus dissertatiunculam. Si tali modo, quod nobis incumbebat, muneri satisfecerimus, nostra expleta erunt vota.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Insolationem pellagrae causam neutiquam sistere.

II.

Eodem modo quo balnea vina venus corrumpunt corpora sana: balnea vina venus dant corpora sana.

III.

Ingens gaudium saluti damnosum.

IV.

Morbi haud raro morborum medela.

V.

Opium in phlogosi nonnumquam usurpandum.

182

VI.

Nil magis ad recte noscendos et curandos morbos confert, quam aeris, aquarum, locorumque cognitio.

VII.

Venena rite adhibita utpote medicamenta adhiberi possunt.